

Lib. V. cap. XI. §. V. p. 212. b.); (g) sed omnium promiscue fidelium in Ecclesia, quae domus Dei est 1. Tim. III, 15. aliquid operae agentium, in specie tamen ministrorum Verbi conditio, concinno *Militiae* vocabulo (quod secundum IOH. ANDR. QVENSTEDIVM *System. Theol. P. IV. Cap. IX. Sect. I. Θεσ. XI*, p. 309. seqq. vniuersum bonorum operum exercitium in tota sua latitudine consideratum, complectitur), in iisdem illis τῶ θεῶ λογίοις exprimitur.

#### §. IV.

Celebris apud Theologos distinctio est, qua Ecclesia in consideratione locorum & statuum in MILITANTEM & TRIVMPHANTEM (frustra Pontificii addunt ecclesiam LABORANTEM in locis subterraneis purgandam) diuidere vulgo amant. Ecclesia priori modo considerata, h. e. congregatio Sanctorum & vere credentium in his terris vitam exigentium, vocatur *Militans*, quia est coetus illorum hominum, qui sub Christo Duce eiusque vexillo aduersus Satanam, mundum & carnalem concupiscentiam, hostes, qui tum ἐξωθεν tum ἐσωθεν palmam cre-

(g) Disquirunt operose Interpretes, quinam fuerint οἱ στρατηγοὶ τῶ ἱερῶ in Sacra Noui Testamenti historia commemorati, ac perpetuo cum sacerdotibus ac principibus Iudaeorum coniuncti *Luc. XXII, 4. & 52. Act. IV, 1. cap. V, 24.* Certum est, praefectos bellicos ac duces militares eos haud fuisse; Iudaei enim sub Romanorum potestate tunc erant, & ius armorum atque praesidii dudum amiserant. Nec poterant esse Romani: credibile enim non videtur, sacerdotes in principes Iudaeorum cum homine Romano, ethnico ac profano, qua erant superstitione, tam familiariter ambulasse aut colloquutos fuisse *Act. IV, 1.* ob metum praecipue pollutionis. Plura dabunt IOHANNES LIGHTFOOT *Hor. Hebraic. & Talmud. in Luc. cap. XXII. vers. 4. p. 879.* ANTONIVS BYNAEVS *in Christ. crucif. cap. IV. §. III. p. m. 185.* IOHANNES CLERICVS, *in notis & Animadvers. quas HAMMONDIANIS adiecit, Luc. XXII, 52. f. 229.* SALOMON DEYLINGIVS *Obseru. Sacr. Part. III. obs. XXXII. p. 235. seq.*